

plaudente, et Regem prosequente senatu
regni, populo maxime ad gratulationem
effuso, feliciter et auspiciato peracta sunt;
his rebus vero excitari nos intelligimus,
et vocibus procerum, qui pro Rege cu-
rant, et exemplis admoneri, ut eadem
pietatis contentione, votis pro Regis sa-
lute conceptis, in hac vrbe, et in arce, at-
que arcis huius templo, more maiorum,
pie ac publice concelebrentur. Quare
mea patrumque sententia delectus est
Collega noster, Conradus Samuel
Schurzfleischius, qui nostro omni-
um nomine gratulandi munus susciperet,
religionemque obsequentis animi AV-
GVSTO II. POLON. REGI, DOMI-
NOQVE NOSTRO restaretur. Cu-
ius instituti causa obsecramus Perillustres
et Generosissimos Barones, Patres, omni-
umque Ordinum Hospites, et literatae
reipublicae Cives omnes ac singulos, ut
confectis rite ab hora II. sacris, frequentes
adesse, et in gratulationis partem venire
ne graventur. P. P. Dominica XVII.
post Trinitatis, Anno Dionysiano
clō lōc XCVII.



7

ORATIO FUNEBRIS
Quam
MEMORIAE
DIVI
CHRISTIANI,
SAXONIAE DUCIS, &c.

Juventutis Altenburgicae Principis,
ad V. Junii diem M. DC. LXVIII.
piè de nati,

Consecravit,

Inque

Collegio Illustri Wirtembergico,

Die XX. Mensis Januarii Anno M. DC. LXIV.

solenniter habuit

BERNHARD Pflugk.



TUBINGÆ,

Excudit JOH. HEINRICUS REISIUS.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
ET DOMINIS,
D. FRIDERICO WILHELMO,

ac

D. MAGDALENÆ SYBILLÆ,

Utrimvis Saxoniae,
Juliae, Cliviae, Montium
Ducibus;
Thuringiae Landgraviis;
Misniae Marchionibus;
Comitibus Dignitate Principali Hennebergae;
Marcae & Ravenspergae Comitibus;
Ravensteinl Dynastis:

INCLUTORUM CONJUGUM,
PATRIÆQUE PARENTUM
AUGUSTO BINIONI.

Serenissimi Principes, Domine ac Domina
longè Clementissimi

Non minus SSerenitatibus VVestris, quod earun-
dem fortuna sublimitas, meaq, tenuitas vix admit-
tunt, sed debitum tributum istic offertur; charta-
ceum sanè, sed forsan, argumenti fiducia, haud in-
gratum. Oratio funebris est, in Athenao celebri, quod incom-
parabilis Wirtembergia Dux, Eberhardus, fovendis illustrium
nobiliumq, studiis & exercitiis, proximorum retrò comitio-
rum tempore restauravit, solenniter à me habita; id est, cippus
filio,

filio, Serenissimi Principes, Vestro Primogenito, DIVO
CHRISTIANO Principi, submissa cum veneratione erectus.
Hujus summam si pranoscere placet, eni istic re & nomine:

CHRISTIANUS	}	Coelestis	PRINCEPS	}	Ortu	} Siftitur.
		Heroicus			Animo	
		Religiosus			Fide	
		Iustus			Vita	
		Sapiens			Judicio	
		Temperans			Doctrina	
		Ingeniosus			Memoria	
		Amabilis			Moribus	
		Negotiosus			Actu	
		Victoriosus			Agone	
		Salvus			Obitu	

Maerores & solatia, SStum VVrum, cum maeroribus & solatis Patria ac meis permiscui, elogiisque partim pramisi, partim subjunxi; prout virtus, quam miror & laudo, affectusque sinceritas orationem temperarunt. In hac tamen non ornatum, quo caret, sed solam pietatem & obsequii gloriam, qua inclarescere cupio, velim spectari. Obtulissim ipsemet coram, nisi a desideratissimo, SStum VVrum, conspectu propinquitas itineris, quod meditor, me nunc arceret. Spero tamen hujus felicitatis usuram, post iter absolutum, cujus meta est unica, ut SStibus VVris, charissimaeque Patria, servitia & obsequia, per reliquum vita curriculum, rectius approbandi capax evadam. Interim Vos Deus, Domine ac Domina longè Clementissimi, caelitus sospitet, atque longo rejuvenescentis senii vigore coronet, simul ac Vestram mihi gratiam conservet, quod suppliciter precabor, uti nunc precor.

SSerenitatibus VVestris

Ad plenitudinem obsequiorum devotissimus, subjectissimus

BERNHARD Pflug.

(0)



Serenissimi Wirtembergia Ducis, EBERHARDI, Legate eminentissime, Magnificae utriusq; Musarum sedis Rectura, Illustri sanguine, munerum Excellentia, Generosa Nobilitate, Gloria Eruditionis, ut & reliquis Dignitatum titulis perhonorandi Lectissimiq; Auditores.



Uod si meo mihi Voto vivere licuisset, non ex hoc suggestu, undique & undique atrato, permiscenda subinde singultibus verba facerem, non pullis vos tapetibus insidentes, non pulpita subselliorum lugubri habitu induta, non hos parietes, Musarum Custodes, mœsto colore obtectos, non lamentabilem totius Auditorii faciem, ipsemet ad gemendum, quam dicendum longe propensior, intimique doloris plenissimus contuerer. Neque verò quisquam, pro eâ fiducia, quam de vestra aequitate concepi, me cupiet incusare: Quasi nudo colorum spectaculo commoveret, quasi evanidis cum umbris ultrò luctaret, quasique Vos, virilibus præcipue curis intentos, prope puerilem in modum, ad inania terculamenta vocare haud erubescerem. Exulat, procul exulat, si quid judicare possum, ab incluto isthoc severæ Palladis sacrario scena, quam adornare, loco & tempore minimè debito, æque mihi probrosum foret, ac vobis indignum, spectare. Scio enim, ac probè quidem scio, tamen nec de Ingenii sublimioris præstantia, nec de cultura ejus exactiori, ante alios tumidius

A

dus

ORATIO

dius gloriari, vel velim vel possim; quid sapientiæ Præsidibus & Cultoribus, quos frequentissimos adesse video, audire gratum sit atque decorum. Non illi, ad ineptum creduli vulgi morem, in externis rerum corticibus obhærent, sed in latentes potius causas, cogitandi solertia, inquirere ac penetrare nituntur. Sine ullâ igitur difficultate conjectabitis, non tantam inesse nudis hujusmodi signis efficaciam, ut animo mœrorem iniicere queant, nisi huic alia obversarentur, quibus ille pridem ad luctum permotus, eundem denuò repetit, indicis quibuscunque provocatum; præsertim ubi vulnus recrudescens in solidam cicatricem tam cito coire, adhibitis licet emplastris, pertinaciter recusat. Nolite, quæso vos, suspicari, quasi ego nunc aulæ hisce pro purpura nigrorem adesse, dignum querela existimarem; Nisi simul nuperum Patriæ aulæ purpureumq; nitorem abesse; mœstus recordarer. Non ad solam cathedræ meæ superficiem, atris coloribus undique oblectam, ore tremulo suspirarem; nisi faciem alioquin serenissimam, patriæ meæ patris & matris doloribus prope confectam, madidis eminus oculis adspectarem. Non crepusculum velut quoddam, hanc Equestrium Musarum ædem, luce diei prima, jam nunc obruisse, tantopere unquam ingemiscerem; nisi corpusculum olim tot coelestium curarum sedem, primo ætatis flore exanimatum corruisse, intimo cum luctu reminiscerer. Intelligitis nimirum omnes, quotquot adestis, me hæcenus defugere, sed non diutius, eheu! defugere posse, quin aperto claroque sermone, sed difficili ac luctuoso pronunciam, Serenissimi Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI, Saxonæ Ducis, juventutis Altenburgicæ Principis, eheu! nuper florentissimi, præ-

matu-

FUNEBRIS.

maturum suorumque votis & spebus celeriore excessum, tristem hunc oculis vestris colorem objecisse, sed acerbiorum animo meo dolorem dudum indidisse. Ego quidem non patriæ solum meæ insigni bono, cui optimus quisque spiritum libenter impendit, sed etiam singulari amore Principis, tot coelo demissis & ubique terrarum admirandis dotibus instructissimi, magna parte ætatis meæ, si qua porro futura est, illius annis addenda, lubentissimè cessissem; Vix unquam illustrioribus meritis, si per fata licuisset, præsens hoc seculum exornaturus. Nec tamen dicendi argumentum, atque id desiderio meo longè convenientius, officiosam in cultu Principis vocem destituisset; utpote de summa ejus & tot virtutum fulcris subnixâ expectatione, quam singuli dies, & apud eos, qui genuerant, & apud eos, qui olim parere illi gestierant, reddebant excitatiorem, longe longeque promptius, verba facere præoptantem. Cæterum mors, beata quidem illi, sed patriæ & omnibus, qui de hac jacturâ participiant, perquam luctuosa mors, aliquot ante menses, destinationi meæ intercessit; cui si lætis acclamationibus satisfacere non licet, grata tamen tanti decoris, quod adolescentulus Princeps jam coelo intulit, piaque prædicatione vicem supplere, dubio procul licebit. Dum enim circumspicere cœpi, quot & quibus vinculis, tam denato Principi, Divo CHRISTIANO, quam toti serenissimæ Domui, unde sanguinem, & præcipuè augustis Patri Matrique, unde vitam hausit, obstrictus essem, ultrò sese mihi subjectio nativa, ut & ingentium in me meosque beneficiorum cumulus obtulerunt, ut expensis tot incitamentis permotus, ad memoriam defuncti albo æternitatis dudum inscriptam, simplici oratione

hic

ORATIO

hic loci celebrandam, potentissime stimularer. | Quamvis illud diffiteri nolim, disertis quoque hominibus nunquam possibile futurum, ut nemini non admirabiles, in tam pusillâ ætate, pietatis, omnigenæ virtutis, sapien-
tiæque profectus congruis nitoribus verborum, quæ cum rebus paria faciant, digne queant repræsentare. Ego tamen nihil hisce territus, cum tenuis in dicendo facultas hic magis patrocinetur, ab instituto tam sancto neutiquam recessi; tum quia doloris haud ficti magnitudo flosculos eloquentiæ detrectat, cum quia peregrino & adscititio dictionis lumine haud indiget, quod propriis naturæ pariter & culturæ fulgoribus corruscat. Vos igitur, Auditores, dum ad verarum laudum radios, è Divi Principis vita, de qua, ut & morte, breviter nunc dicturus sum, undique emicantes respectabitis, neque veniam, infantia meæ adeo necessariam, neque auscultationis promptitudinem [pro qua debita dignitatibus vestris cum Veneratione, debita Commilitionibus cum officiositate, omnes & singulos rogare audeo] cespitanti licet, sed illustrissima in materia versanti usquam facile subtrahetis; pro tantis beueficiis me usque & usque gratissimum experturi.

EXtendit autem Divus nunc Princeps, CHRISTIANUS Saxonicus, cujus memoriam celebramus, integrum Vitalis auræ spatium, cum mensibus quatuor ad annos omninò novem, novemque dies; qui numerus, quia musis apud literis excultos gentiles sacer fuit, si vel ipsi forent Auditores magnam in animis eorum excitare posset cultus æmulationem. Vobis tamen qui non solo defœcatæ rationis usu gaudetis, sed revelationis etiam mysticæ fructu impulsuque gloriari potestis,

FUNEBRIS.

potestis, non annorum ac dierum calculus iste, utpote fortuitus, non Musarum numerus, à confictis poetarum fabulis dependens, sed arctissimo temporis intervallo circumscripta mortalis vita, cum tanto & tam inusitato indolis divinæ profectu collata, non venerationis modo, sed summæ simul admirationis argumentum, suppeditabit. Haud equidem nescio, plerosque alios, quid sit vivere, dum in teneris hisce annis versantur, vix dum discere solere, cum parvulus ætate Princeps noster, sed virtute sine veritatis intertrimento maximus, non hoc tantum abunde didicisset, sed cuncta simul melioris vitæ præsidia, & si ad canos prorogata foret, sibi & aliis usu futura, manu & mente salubriter avara, post cunas & vagitus, statim congestisset. Nunc demum sufficienter interpretari possum, quod Cæsar, disertissimi viri testimonio ab ineunte ætate docuit: Ab excellenti eximiâque virtute progressum ætatis expectari non oportere; postquam Cæsareum hoc oraculum, præsentis exemplo, manifestissime video illustratum. Nunc intelligo perpetuum Sapientiæ dictatorem, Senecam, voce altissimâ verissimâque testatum, nulli præclusam esse virtutem; Postquam puerum Principem suos ad amplexus, sua ad oscula, suos ad amores illa intimè admisit. Nunc nova cum luce Ciceronianum illud capio: Virtutis esse, quam ætatis, cursum celeriores; postquam uno hunc novennio stadium illius, ad ultimam usque metam, feliciter decurrisse admirabundus agnosco. Brevitas sanè temporis, quod inter Vicina sibi novissimæ pueritiæ & primæ adolescentiæ confinia istic presse concluditur, haud quaquã prohibere potest, quin virtus hæc summa nuncupari mereatur, tamen si vasculum terrenum, in quo grandis

B

iste

ORATIO

iste thesaurus delituit, non admodum diuturnæ fuerit durationis. Quemadmodum enim siderum Rector, Sol, genuinam pulchritudinem suam neque deperdit, neque minorem se prædicari permittit, cum eam brevissimo die, sicut mense superiori nostro in climate mundi evenit, paucas ad horulas mortalium oculis ostentat; Ita Virtus, vitæ totius humanæ Regina, summum quoque decus suum, quod Solis pulchritudinem æternitate superat, eripi sibi neutiquam permittit, exiguo licet mortalis ævi spatio terris ostensum, aque cælo suo maturius repetitum. Ingens proinde illos tenet error, à quo vos eruditio vestra reddiderit immunes, quotquot sibi persuadent, ac si ea puerilibus annis contigisse nequeant, quæ viris, aut ætati Virorum proximis, digna cognitu, dignaque auditu viderentur. Hanc certè opinionem, de omnibus universim haustam, si quis eà fortassis hucusque fuit infectus, animo ut ejiciat oportet; nisi vel propter Christi pueri exemplum à veritate devius, vel in sanctos CHRISTIANI Principis cineres injuriosus, traduci cupiat & condemnari. Largiar lubens orthodoxis Theologis, miraculorum frequentiam, fundandæ firmandæque Ecclesiæ necessariam, nostris temporibus, postquam ista sat firmitudinis accepit, plerubique cessare: Sed miraculosa tamen per multa, saltem admiranda, in hoc Principe, per omnem Vitam, oppidò clarè deprehensa esse, simul constanter asseverabo. En provoco, ut hujus rei fidem faciam, ad simplicem fide gestorum ejus narrationem, è quibus si memorabilia quævis, ad horam usque terminatricem, recensere vellem, etiamsi neque vocem meam, neque aures Vestras, ob rerum dicendarum dignitatem, ullo affici posse tædio, satis certus forem, haud immeritò
tamen

FUNEBRIS.

tamen vereor, ut temporis mensura, orationibus ejusmodi habendis destinari solita, nobis permittat. Quapropter summa tantum rerum maximarum capita tangam, atque ordinis naturalis leges porrò sequuturus ad ipsam, quæ vitam inchoat, seseque ultrò ingerit, Principis nativitatem statim festinabo. In primo autem protinus ortu, indubitatis clarissimisque indiciis, providentia cœlestis singulariter elucet, pro hujus Principis Nativitate insigniter a deo sollicita, ut quasi cœlitus contigisse, seriem rei advertentibus haud frustra queat videri. Haud frustra profecto Serenissimus ejusdem Pater, FRIDERICUS WILHELMUS, SAXONIÆ DUX, PRINCEPS AC DOMINUS MEUS LONGE CLEMENTISSIMUS, cum DOMINA SOPHIA ELISABETHA, pridem beata, ex Electorali Brandeburgico stemmate oriunda, duodecimum usque in annum, amabile quidem, sed sterile matrimonium exegit. Haud frustra ejusdem Serenissima Genitrix MAGDALENA SIBYLLA, ortu & jam nuptu quoque SAXONICA, PRINCEPS item ac DOMINA MEA LONGE CLEMENTISSIMA, olim Regii Danorum Principis & designati eorundem Regis, D. CHRISTIANI V. Lectissima Conjux, ultra totos duodecim annos, pariter expertem foecunditatis thorum habuisse debet reputari. Nimirum natura, dirigente sic Naturæ Domino, vires suas longo tempore colligit, quoties grande opus meditatur, utque deinceps raritate commendet, quicquid facultatis comparuit, ditissimo sinu confert ac effundit. Ita sane factum in hujus Principis Conceptione ac geniturâ, quis est qui ausit inficiari? Postquam enim inter Augustos ejus Parentes pronuba divinitatis

ORATIO

nitatis dextera, nutrinque post annos viduitatis plusculos conjugalibus nexu coaluisset, septimo post secundas, verè secundas, nuptias mense tradux hic ex congenere traduce concipitur, & lux ista, tenebrosæ tot annorum sterilitatis victrix, vix elapso novimestri, mundi lucem intueri orditur. Tam felix autem Nativitas, recepta fastorum computatione ad XXVII. Februarii diem evenit, idque Anno M. DC. LIV. post Nativitatem ejus in quo deinde fuit regeneratus. Sed & illud regenerationis festum, quæ altera Nativitas est, multis raritatibus fuit solenne, à PACIFICI eaque propter AUGUSTISSIMI IMPERATORIS FERDINANDI III. Legato, ingentibus unâ Vice gaudiis affecto, mirifice illustratum. IS fuit SERENISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS, D. JOHANN. GEORGIUS I. SAXONIÆ ELECTOR, maternus recens nati Avus, qui nepotem hunc & Cæsareo, & proprio nomine, sacro ex baptismo suscepit, novumque simul Pacis firmatæ Jubilæum peregit. Nec enim illud cum silentio prætermittendum, censuerim, quod idem annus, qui hunc Principem produxit, Germaniæ nostræ ideò æternum memorabilis sit futurus, quia geminum Westphaliæ Pacificationis instrumentum, hætenus Imperiale Diadema, cum Ligero & Boreali Sceptro, juratâ fide connectens, Ratisbonensibus in Comitibus, inter pragmaticas Imperii Romano-Germanici Sanctiones, solennissime tunc fuit receptum. Quæ si quis parum facere, ad illustrandam Principis hujus Nativitatem utramvis, forsitan argutetur, is verò videat, ne nimium profamus sit; tum illam gloriam, quâ natales suos Christus, Pacis Augustæ tempore natus, notabiles esse voluit, una cum nominis participatione,

FUNE BRIS.

tionem, CHRISTIANO Principi cupit ereptam. Hoc ipsum certe nomen, si rem rectè æstimemus, cum ominatione quâdam, illum à primo ejus autore, quocum arcano nexu semper cohæsurus erat, cœlestibus donis cumulatum iri, provida parentum divinatione ac fiducia, procul dubio ipsi fuit collatum. Quanquam neque illud abnuerim, frequens in gentilitiâ domo exemplum, quod sequerentur, haudquaquam defuisse: dum novem cognomines Principes, quorum ille agmen clausit, numeroque perfectionem addidit, unico hoc seculo nondum elapso, Saxonici sanguinis extiterunt, vel adhuc pridem partum familiæ decus illustant. Isto autem splendore, uti Majorum virtus & sublimitas, ad posteros, vestigia legentes, purissimum lumen diffundit, si CHRISTIANUS noster suam augere Celsitudinem cuperet, jam non ad audiendam Orationem Panegyricam, sed ad ingentia Historiarum monumenta, vocari Vos oportuisset. Manebit priscus Saxonica hujus stirpis splendor, toti terrarum orbi notissimus, nunquam perituro, si quid usquam est, quod ætatem ferre possit, immortalis memoriæ saxo insculptus; ita ut ne ipsa quidem æternitas hujus laudis sit exors futura. De qua si jam nihil dixero, excusationem tamen minimè despero, cum, paucula illinc delibasse, perinde foret, ac omnibus reliquis, quæ omittenda essent, grandem injuriam intulisse. Mihi saltem, eloquii mei paupertatem, quæ se magis magisque prodit, sollicitè circumeunti, ut immensam historiæ abyssum ingrediar, præcipuè si fidem promissæ brevitas, uti debeo voloque, præstare animus est, nequaquam video licere. Nam & illa, quæ propius Principem nostrum concernunt, & quæ in aliis haud leve laudationis mo-

ORATIO

mentum faciunt, sicco pede transilire necessum est, ut ad memoratu digniora veniamus. Itaque super illius incunabula, quæ crebro satellitio cœlestium geniorum, cupidinem Virtutis tenero cum lacte instillantium, fuere stipata, superque ipsam adeò infantiam, qualem Princeps, si plerosque actus, huic ætatu familiaris, respicere velimus, habuit fermè nullam, aut modicis admodum spatiis conclusam, faciendus erit saltus. Haud temperant sibi veteres, quos penes præcipua laus est, cum Herculem suum describunt, quin ad cunas ejus procumbant, illumque serpentes comprimentem admirantur. In quâ narratione tamen fabulis quam veritati, quæ nobis unice leges dicendi præscribit, similia repræsentant. Nolo imitari vestigia, cæteroquin satis usitata, & ab ipso vetustatis æstimo veniam conciliatura; sed hoc dicere juvat, Principem CHRISTIANUM, si, in describendo recens nati blando risu, & cæteris crepundiis, cuperem versari, suavitatibus minimè carentem, fascias & serperastra, usque & usque promotum maturescens judicii gressu, cito sed feliciter transcendisse, & ad metam perfectionis, annis licet sueto more tardantibus, mirifico cursu festinasse. Agnoscitis scilicet, A. H. uti de vestrà perspicacitate sum persuasus, heroicum in illo animum, quem per pietissimos parentes ex tot heroum sanguine transfusum possidebat, sed novis semper indiciis altius sese tollentem, esse manifestis auctibus, divino beneficio, ubertim locupletatum. Major quidem indole ac spiritu animosior, quæ propria heroibus signa connascuntur, non poterat in lucem prodire, sed hoc tamen certissimum existimo, si supervixisset, quemadmodum inter adolescentulos miraculum habitus est, sic inter adultos quoque Princi-

FUNEBRIS.

Principes neminem, in comparatione virtutis, futurum fuisse excelsiorem, perpauca illi exæquandos. Neminem interea, quod mihi semper curæ, dum ita sentio, neque læsum velim, neque laudis heroicæ gradu dejectum; cum ejus eminentia, semper quidem alto, sed non æque lato ubivis, fastigio attollatur. Hic autem Princeps, insolito quodam virtutum complexu, sese & in amplissimam latitudinem, platani more, mirabiliter exporrexerat, & cœlo propinquaturus, quocum cito conjungi debebat, in sublime, ad modum palmæ, validis nifibus confurrexit. In primoribus siquidem pueritiæ annis, ejusmodi lineas virtutum duxerat, quæ non poterant non mox totas se promere, ac omnium expectationem cum auctario explere. Ganniant nunc ad ravim usque, quam diu voluerint, qui sine tribu, sine prætura, tribunal conscendere audent, & maturitatem ingeniorum, solito celerius erumpentem, absque ullo discrimine, causa nondum cognita, sub titulo præcocitatis damnare; non tamen unquam, quod cupiunt, refragante nobilissimo hoc exemplo, & si quibus aliis, (ut cum Poëta adversus istos erroneos loquar) de meliore luto finxit præcordia Titan, cum victoriâ obtinebunt. Illi enim, si heroicas animas, à vulgaribus & plebeis, ingenium præcox & ventosum, à maturescete ac erecto, crudam & inanem præcipitantiam, ab animi corporisq; dotium solida festinatione, constantiam actus, ab impetus vicissitudine, uti par erat, distinguere didicissent, haud dubie dictaturam suam temperantius exercerent, vel cum rubore vultus, CHRISTIANO duce ac auspice, meliorem ad mentem reducendi. Adolescentulum quippe hunc Heroem indubitatus supernæ ac peculiaris curæ character, indoles generosa, undique ostende-

ORATIO

stendebat, quæ nec tarda, nec torpida, sed magnorum in puerili ætate capax, agilitate perpetua, siderum cœlestium naturam fuit imitata. Parum tamen foret, solam ingenii capacitatem & alacritatem in Principe nostro dilaudasse, nisi etiam educatio, quæ munera naturæ cultiora reddit, pares in eo per omnia successus habuisset. Fieri verò aliter vix potuit, postquam primis literarum studiis mature sed prospere initiatus, ad sapientiæ omnis caput & fontem, Domini Dominantium timorem, qui amor tamen, quam formidini, propior foret, animum suum, justitiæ avidissimum, deprædicanda religiosissimorum parentum sollicitudine, pronus applicuisset. Senferant illi, senserat ipsemet, ab iisdem ita monitus, sacri flaminis impulsu, quem à suscepto jam inaugurationis Christianæ mysterio efficacem compererat, ductus ac edoctus, non forte aut casu, non communi Naturæ arbitrio, aut industria, in lucem se hanc editum, sed majorem quandam vim, humana longe sublimiorem, natalibus suis interpositam fuisse. Idcirco commercium illud divinum, quod apertis adeo stricturis undique emicabat, vinculo religionis orthodoxæ, fortius adstrinxit, ac ejus Catechetica elementa vix ab uberibus remotus (qui adhuc iis nutritus & lactens, sacris cum vagitibus, æterni numinis laudes effundere sueverat) mirâ benedictione imbibit. Crescentibus post annis, tam foecunda pietatis semina non modo altiores egerunt radices, sed florescere, augescere ac fructescere indies magis magisque cœperunt. Irrigavit hanc stirpem, quam cœlestis Pater plantaverat, dulcissimus divini oris ros; neque parum commemoratio illa solidavit, cum lubens audiret: quantis conatibus Majores illius veram religionem humi jacentem erexerint?

FUNE BRIS.

rint? tenebris sepultam resuscitaverint? humanis traditionibus obscuratam priorem ad lucem reduxerint? ac eandem, vel cum dispendio rerum, quas mundus hic pro maximis suspicit, antiquo vigori restituerint? gloriosum illinc nomen per omnem latè Europam promeriti, ut religionis veræ Christianæque reparatores, ac jam reparatæ protectores Saxonici Principes audirent. Hanc Avorum suorum gloriam, ne quidem cum aurea Indiæ utriusque gaza permutandam, ita Princeps tenebrosus est exosculatus, ut crederet, laudis illius partem, si vitam Deus produceret, etiam ad se spectaturam. Ut autem de veritate religionis, quam avitis bonis jam accensebat, tanto certior evaderet, initialem ejus notitiam, iis modis, quos expressimus, insigniter, acquisitam, non ex Symbolicis tantum libris adauxit, sed gutture pleno, ex ipsa sacrorum etiam bibliorum scaturigine, per quotidianam lectionem, & auditam explanationem, cupidissimus hausit, suumque ad fastigium, quantum res terrenæ ferunt, lætissimus perduxit. At quia, divini verbi scatebram, creberrimis licet haustibus fatigatam, semper inexhaustam manere, fuit persuasus, præter solida Christianismi fundamenta, ut & reliquam operis sancti structuram, quo præcipite sacer ille Codex collimat, regnatricis etiam disciplinæ oracula & exempla, quæ copiosè suggerit, optimâ cum fruge, illinc depromere laboravit. Cum enim *pietatem ad omnia utilem esse*; ex promisso divino intellexisset, geminam justitiam, cuius avidissimum pectus eum accepisse prædixi, spiritualem & civilem, ex monumento antiquissimo, familiarem sibi reddere, summorum orbis Christiani Principum vestigiis allicefactus, non tentavit segnius, quàm optavit. Eant nunc profanato-

D

res

ORATIO

res illi, quibus, in argumento politico versantibus, biblica omnia sordent, dignam struma sua dibapham in hujus Principis myrothecio reperturi; ut qui recte pieque crederet, non Judaici tantum populi Reges, ad sacrorum librorum lectionem assiduam, imò propriam (juxta Hebræorum Magistros) descriptionem, sed multo etiam magis eos Principes, qui Christo nomen dederunt, ad ejusmodi meditationem esse obligatos: sicut Alphonsus Aragoniæ Rex, toties iterata sacrarum literarum lectione, egregium ejus rei documentum præluxit. Sin autem nauseabundi tenuant, ab annis junioribus, quos Princeps noster habuit, vel ab exemplis peregrinis isthic doceri, ad Germaniæ Augustum Imperatorem, Carolum V. oculos reflectant, ex ipsiusmet confessione deprehensuri, tantum Principem, potissima civilis doctrinæ momenta, præeunte studiorum moderatore Hadriano, quem propter hæc merita Pontificem postea fecit, ex biblicis libris condidicisse; quibus Cominæum Historicum, sibi maxime familiarem, præ reliquis adjunxit. Si nova magis delectant, prodeat popularis meus, Generosissimus Arnhemius, non incelebris, nupero Germaniæ bello, militiæ dux, qui sapissime factus est, pleraque armorum consilia & stratagemata non sibi aliunde magis, quam è libris sacris, utiliter innotuisse. Sed quo me Christianum Christianæ pietatis, in CHRISTIANO Principe, studium deduxit? Redeundum est in viam, & ad cæteros ejus, quos in omni sapientia fecit, progressus mihi quoque pergendum. Hos si coram vobis, *Auditores*, fusiori narratione vellem referre, propter inuitatam, sed fastigio suo egregie attemperatam, hosce per annos, bonis in literis profectuum felicitatem & facilitatem, rem forte non ingratham essem præstiturus; sed

FUNEBRIS.

sed compendium faciam, haud immemor, quam arcto temporis limite constringar. Ante omnia Princeps noster, proxime post pietatis cultum, rationem excoluit, mentemque ipsam cognitione rerum, quæ præcipua eruditio est, non quidem distendit, sed velut imprægnavit: ut ex veris ac primis conceptibus, semel ac generatim apprehensis, quicquid dispar aut affine illis postea occurreret, sine multa difficultate, velut ad Lydium lapidem pollet dijudicare. Sed quia rationis usus, si prodesse aliis velit, sese aliter exerere nequit, nisi verbis & actionibus, juxta illius normam (revelatione divina haud exclusa) perite proferendis ac instituendis, artes quoque sermonis didicit, ac disciplinam morum conjunxit. Et in tractando quidem rerum studio ita se gessit, ut parum absit, quin Platonicam de mente humana sententiam, nostri Principis exemplo, Aristotelicæ propemodum ausim præferre. Nempe promptissimam omnium dogmatum, quæ semel audierat, apprehensionem intuentibus videri potest, mentem hominis, ut sentit Stagirita, non esse instar tabulæ rasæ, cui prorsum vacuæ omnia, sensuum beneficio, primitus debeant inscribi; sed potius, ut Atticus ille Moses sentit, instar lucidissimi speculi, quod admoti corporis imaginem statim recipit, ac velut naturaliter impressam repræsentat: cui reminiscenciam rerum in homine idem voluit convenire. Quicquid verò de hæc sententiâ statuatur, quam majori luce gaudentes cum statu integritatis, justas tamen intra metas, haud absurde possent conciliare: illud interim certò constat, si quid huic Principi una tantum vice propositum, aut ex eo commode quaesitum fuit, sic illum id calluisse, sic de eo respondisse, ut non plane nova audire, sed in memoriâ aut recor-

datio-

ORATIO

dationem rerum, olim notarum, reverti videretur. Hæc illa est felicitas & facilitas inusitata ac insolens, qua in tamen, si temperamentum abfuisset, sicut adfuit, ego in Principe haud magnopere commendarem. Sed noverat is, & probe noverat, nunquam aliter edoctus, *difficilimum esse in sapientia modum tenere*, ideoq; eum summo studio in studiis servavit. Noverat inquam, & probe noverat, in istis vel plane neglectis ac spreis, vel econtra, iisdem justo tenerius adamatis ac cultis, magna etiam fastigia, præsentis cum Reipublicæ suoq; detrimento, ut plurimum deliquisse. Quod geminatum ille malum, lectissima usus educatione, ex æquo studuit prævenire. Liceat mihi, bona cum vestra pace, *Auditores*, scitæ hujus educationis & informationis, de qua, non in publica quidem schola (quem morem seculi genius, ea in ætate, vix admittit,) sed nec tamen in umbra, tantas ingenii dotes detritura, Principi prospectum fuerat, breviculam quandam mentionem isthuc inferuisse. Educabatur is sub sollicito provisu, & præsentis sæpius conspectu, Serenissimorum Parentum, quorum nutibus obsequi gestiebat, quotidianum piis illorum gaudiis augmentum addere paratus. Ex ministris supremam inter alios directionem susceperat Generosus ac Nobilissimus DN. HARSTALIUS, Eques Dapnus, & in aula Altenburgica Mareschallus, Vir ita rerum aulicarum peritia, ut & reliqua prudentia, clarus commendatusque, ut paucos fortasse pares inveniat, vix ullum certe superiorem. Inspectioni ejus ordinariæ præfuit Generosa item Nobilitate conspicuus, DN. à T R U F, Eques Pomeranus, ad opus hoc, singulares ob animi & corporis dotes, cum cura & successu selectus. Studiorum moderatores habuit omnino duos, DD.

FUNEBRIS.

DD. SCHRÖTERUM & GIPSIUM; multa eruditione clarissimos, & ad indolem Principis intime accommodatos. Commilitones ipsi fuerunt, in quibus & animi Generositas, & sanguinis Nobilitas paria faciebant, inclyti directoris, qui præcesserat, filii per dilecti. Optimo sane id instituto, ut sc. olim, quos industrios pensorum in schola nunc socios haberet, si vita mansisset, ministros, tanto aptiores ac fidentiores, posset sperare. Utinam autem, ô utinam hujusmodi disciplina, tam ubere virtutis & sapientiæ provenitu dives, in aula Principum frequentior evadat! Quod & vos mecum eò ardentius optabitis, quo prosperiores maturioresq; fructus Principis ingeniositatem, ad quam nunc speciatim accedo, ex tali institutione sensisse, ultro intelligetis. Quandoquidem vix operæ pretium fuisset, post excultam rationem, unde augmenta sapientiæ impetravit, ad sermonis artes, in eo recte formando & scribendo, in familiariter loquendo, itemq; ornate dicendo, potissimum sitas, manum & Linguam applicuisse, nisi desideratus etiam hic finis tandem foret obtentus. Obtentus autem fuit tanto cum fœnore, ut licet nesciam, an multa ejusmodi extent exempla, ingenue tamen fatear, me vehementer dubitare. Acquisivit hic sane Princeps Juventutis, dum operi sedulus instat, præter expeditissimum vernaculæ usum (qui perperam quandoque solet posthaberi) aliarum trium linguarum notitiam, atque eam insuper pauculorum annorum spatio, sine ulla confusione, quæ non hebetioribus tantum, sed supra mediocritatem quoque surgentibus ingeniis, negotium faceffit, conjunctim acquisivit. Agnosco ipsemet, nisi tot idonei testes earum rerum, quas hic memoriæ prodo, in tanta loci propinquitate,

ORATIO

quitate, ñdemque fide dignissimi superforent, qui notitiam hanc, quod pluribus contigit, non simplici cum stupore, sapius sunt admirati, fabulas illis posse videri, quotquot solam ætatis teneritudinem hic respiciunt. Tales non recordantur, quod in sublimi hoc ingenio, sicut mentis, ita vocis usus sic invicem fuerit conjunctus, suaque raritate sic commendatus, ut Princeps, ævi licet immaturus, hic æque ac alibi, fastigio suo sese maturum comprobaret. Dignissimum est auditu, quemadmodum dictu verissimum, serenissimum hunc & novennem adolescentulum, æquali promptitudine, in tribus peregrinis, & à materna distantissimis linguis, Latina videlicet, Gallica & Italica tantum profecisse, ut sensus animi, in quacunque materia, commode potuerit explicare. Gnarus erat, pari eloquio, adventantes excipere, compellantibus respondere, bene precantibus gratias agere, felicibus gratulari, miseris condolere, eosque solari, de rebus novis disserere, de omni denique argumento, quod occurrebat, quicquid dubium esset, investigare, quicquid decorum, laudare, quicquid rejiculum, improbare, atque sic toti, quam late patet, sermonis mutui commercio satisfacere. O admirabilem ingeniositatem! Ocedro & marmore, ut in secula duret, dignam relationem! Nam eousq; injurium fore spero neminem, qui excellentem hanc memoriam, cum judicio & imaginativa, quas ingeniositatis species Janus Huartus, Hispanorum subtilissimus, rectè describit ac distinguit, juxta eundem, non potuisse concordare perneget: cum hic ipse, sicut & præsentis rei experientia, à vulgari regula indolem heroicam excipiat; qualem hic fuisse, infinitis documentis patescit. *Ista verò ut hic iterum coacervemus, actum-*
que

FUNEBRIS.

que agamus, nihil est opus; sed ordo potius monet, ut Principem nostrum, cujus exactum, in ratione & rerum cognitione, judicium vidimus, cujus mirificam in oratione ac notitia linguarum memoriam exposuimus, nunc moribus & actionibus quoque excultissimum, qualis fuit, porro producamus. His quippe tribus, ratione & rerum scientia, orationis & linguarum peritia, actionis & morum prudentia, potior humanæ vitæ structura, velut fulcris quibusdam, firmius inniti solet ac sustentari. Nec verò minus in hâc parte, quam prioribus, Princeps CHRISTIANUS, de quo unice loquimur, excelluit; sicut abunde morum amabilitas evincit, qua sibi cunctos, quibus cum illi, jam in familiari & quotidiana conversatione, jam in solenni ac rariori congressu, aliquid negotiorum intercessit, velut licito quodam fascino devinxit, inque sui cultum & amorem pertraxit. Testabuntur hoc ad unum omnes, quotquot ad aulam serenissimorum ejus parentum, & præcipuam aulæ totius patriæ spem, mellitissimum Principem, propior patuit accessus. Non solo sermone, prompto ac profluenti, sed ineffabili oculorum vigore, sed vultu explicato & sereno, sed pleno totius capitis honore, sed incessu composito, sed nutu gratioso, gestu denique semper decoro, & animi sensibus vel aperiendis, vel aliunde percipiendis, singulariter accommodato, plane fuit admirandus. Secum quippe conversantibus tanta is comitate occurrit ac satisfecit, ut nihilo secius, jucunda gravitate, ad quam mores ejus natura duce vergebant, omnes ambiguos redderet, majorem ne admirationem actiones ejus excitarent, an ipse sui venerationem augetet; cum utramque interim, ut meritus erat, ab universis perpetuo

ORATIO

tuo reportaret. Audacter hic provoco, si externa, testimonia desideratis, ad complures Principum ac Re-rumpublicarum Legatos, qui præterita proxime tempe-state, negotiorum publicorum causa, quod frequen-tissime accidit, in aula paterna versati, miraculo simi-le crediderunt, tantam posse his annis inesse morum culturam. Mirabantur obviam affabilitatem, mira-bantur hospitem humanitatem, mirabantur junctim rerum & personarum accuratam discretionem. Re-versi iterum iterumque ad ejus compellationem, gu-bernatorum nutu, oculorumque nictu, sicut & ore in-terprete, inter primordia necessario, vix dein, & ne vix quidem, usquam Principi opus esse, mirabantur. Quid? in itinere versantes, ac postea domum reduces, non si-ne multis laudibus, quas coram eo, omnem etiam a-dulationis speciem peroso, largius effundere non sunt ausi, virtutes ejus perspectas, moresque probatos, cre-bram colloquii materiam selegerunt. Ubi vero nec domesticum, sed honoratiorem, abnuitis testem, Te potissimum, Generose ac Inclute Domine à THUMS-HIRN, Serenissimi Principis Nostri Cancellarie opti-me merite, isthic honoris causa appello, idque tanto lubentius, quia olim inter spectatissimos hujus Collegii incolas, cui memoria Tui pergrata est, singulare decus eminuiti, æque ac nunc, inter præcipuos rerum in Ger-manico Imperio civilium arbitros, & status ministros, plurimum antecellis. Quoties tu, Vir Magnificen-tissime, (nam tecum, cui pietatem meam erga manes Principis placere scio, fidentius loqui pergo) quoties, inquam, post factum à CHRISTIANO Principe ac ejus conversatione discessum, Patriæ Patrique ejus, utriusque amantissimus, tantum successorem es gratu-latus?

FUNEBRIS.

latus? idque ob tot divinas dotes, & morum inprimis castissimorum amabilitatem. Quale quidem votum, ultima inter oscula, discedentibus ex aula Legatis iti-dem fuit solenne. Quis autem non maxima speret de illo Principe, qui tam accuratum, de belle impe-randi difficultate, cum ejus rei mentio incidisset, exco-ctumque judicium pronunciavit? Esse magnum, aje-bat, esse arduum, tot hominibus præesse Principem, tot subditorum salutem unum procurare. Ecquis au-tem, repeto, tam memorabili effato, quod senilem in juvenculo Principe prudentiam sapit, penitissime expen-so, non maxima quævis hic audeat sperare, futurasq; actiones, si supervixisset, illinc divinare? Vix enim mi-hi persuadeo, fore quenquam, qui his, de agnita pru-dentiæ regnatricis difficultate, verbis sinistrum pæda-gogicæ subtilitatis sensum cupiat affictum. Sunt sa-ne, qui sic Platonem, aut, quem iste loquentem intro-ducit, Socratem traducere solent, quasi horum alteru-tri, aut utrique in universum *turpe visum fuerit, si quis sponte ad imperandum accesserit, neque ipsam necessita-tem expectarit.* De hoc profecto Princeps, frustra civilis doctrinæ alias cultor futurus, nunquam cogita-vit: illi vero, quibus hæc verba exciderunt, non uni-versum de omni, sed de specialissima tantum Reipubli-cæ forma, disertim sunt loquuti. Multo etiam mi-nus erit, qui hisce verbis defensionem stertentis ignaviæ contineri suspicabitur: cum Princeps noster usque eò fuerit negotiosus, ut operi honesto semper esset intentus, alternasque vices, animi inter occupationes & exerci-tia corporis, quibus virium modus par videbatur, ala-criter observaret. His enim ille, quoad ætati congrue-rent, æque ac literis, summoperè fuit delectatus, & mi-

ORATIO

ra quadam membrorum aptitudine, magistris præcipue, quandoque admissis etiam spectatoribus, eximiam in iis dexteritatem approbavit. Tantum abest, ut umbræ deliciis corpus, somnolentiæ sagina animum exsolveret, ut spontaneis se operibus semper exerceret, interdum & lassaret; necessariis postea, si forsitan ingruerent, tanto faciliori robore suffecturus. Et quamquam vita omnis mortalium, teneriori potissimum ætate, crebris curarum laxamentis, sine quibus durare illa diu nequit, magnopere indigeat, Princeps tamen vix unquam alias remissiones à laboribus adhibuit, quam ut temporis, quod occupationibus destinatum, erat, alteram partem studiis daret, alteram exercitiis; quæ duo sibi jucunda reciprocatone invicem succedebant. Ad ludicra vero, nisi quæ serium aliquando usum sponderent, ac præstare possent, nec ipsemet propensus, nec ab invitantibus facile in communionem se trahi fuit passus. Ferraro certe, ut primum se ratio, sermo, & agendi promptitudo exerere cæpit, aliquid ab eodem, quod pueritiam saperet (rectius dixero, quod puerilitatem argueret) sive dictum fuit, sive factum. Unde par iudicium, in ætate simulationibus nondum obnoxia, de cogitatis ferre licebit. Atque hætenus quidem, dum in tot gratiarum, tot raritatum, tot venerum, tot insignitissimarum in Principe nostro dotum contemplatione Oratio mea versatur, illa sibi à suspiriis quodammodo temperavit; nunc autem, in exordio sermonis suscitatus, & post ægre suppressus, dolor ad præcordia redit, postquam ad bellum & prælia ejus deveni. Ut ut enim fatear, *ducis boni, cum cætera in eo utcumq; facilius tolerantur, Imperatoriam virtutem esse*; ipsa tamen Principis victoria, qua hostem animose

FUNE BRIS.

animose superavit, novos eosque graves ciet luctus, non sine gemitu erumpere certantes. Nam cum ille aureis innoxia pacis artibus incumberet, cum præviis militiæ rudimentis per vices insudaret, tranquillitas ejus desubito hostilem patitur impressionem; dum corpus à morbo variolorum infestatur, animus ad pugnam, cum acerrimo & ultimo humani generis hoste incundam, cœlesti permissu laceffitur, sed divino robore ad victoriam armatur. Desideratis forsitan, eo in statu, aulæ Altenburgicæ, imò totius subjectæ ditionis, videre faciem? O quantam varioli variationem hic excitarunt! Fervet serenissimorum parentum, pro salute filii recuperanda, diu noctuque sollicitudo; surgunt eorum vota cœlum versus, nubesq; perumpere, validis ac conduplicatis precum piarum ictibus, certatim contendunt; sed &, calida cum supremi auxilii imploratione, sicuti decebat, medicorum curæ conjunguntur. Decernuntur fundunturq; in templis humilimæ, ad Deum propitiandum, supplicationes, millenis civium vocibus iteratæ atque reiteratæ; cum anxia boni optatique successus expectatione. Princeps autem ægrotus, cunctis, quæ erant eventura, divinam in voluntatem repositis, mortem nec timidius horruit, nec tumidius desideravit: nisi quod, dulcissima æternorum gaudiorum meditatione permotus, isthuc, quam illuc, propius inclinaret; ne serenissimo charissimoque Patri suo superviveret, aliquoties deprecatus, ejusque vitæ tot annos, quot capax ipsemet filius videri poterat, cœlitus supperaddi exoptans. Interim ad mysticam refocillationem, interiorumque cum Triuno Deo in terris adhuc unitiorem, præeunte sacrasque ministerii partes obeunte, ut alias sæpe, Reverendo & Celeberrimo Theologo, Domino

ORATIO

mino SAGITTARIO, Consiliario illic Sacro & Ecclesiae aulico, toto pectoris cum anhelitu aspiravit: ut sibi post in caelis, ad thronum divinae Majestatis, tanto paratior esset accessus. Jam stillant ex oculis charissimorum lacrymae, jam novae preces, longo suspiriorum ductu comitatae, in altum exsurgunt; cum aeger ille, licet infirmitate corporis aggravescente, intrepidus animo, plenus fiducia, mortis propinquitatem, horribile natura malum, ex abundantia gratiae nihil reformidans, anima in servatoris sui manum resignata, ultimum vitae momentum, & constanter expectavit, & perseveranter excepit. Factum hoc est Anno proxime praeterlapso, Mensis Junii die Quinto, circa horam ante meridiem decimam, idque Altenburgi, ubi & natus erat, atque ubi post novissima valedictionis verba, in auribus & animis tunc adstantium adhuc resonantia, fide in Christum defixus, pia placidaque morte decessit. Sic ergo salvus & meliori sui parte incolumis, deducens sanctam animulam genis caelestibus, ad aeternae beatitudinis sedem fuit translatus. Sic ergo, terris ostensus magis, quam in diuturnam possessionem datus, ad sublimia caeli, cujus gaudia saepe animo voverat, maturime fuit evocatus. Sic ergo, licet novennis adhuc, (ne hoc quoque in illo minus rarum foret) plenam majorennitatem, ac id non Caesarea, sed Divina, dispensatione impetravit; quae simul decreverat, ut destinata in futurum soli hereditatem, adita in praesens poli hereditate, jam tum permutaret, & qui demum post Patrem terrenum debebat, cum Patre caelesti statim regnaret. Sic ergo, omnibus terrarum arcibus & montibus altior (quod nomen caelorum altitudinis intuitu penitus evanescit) nunc tam re ipsa, quam

FUNEBRIS.

quam appellatione, vere Altenburgicus Princeps saluari meretur. Sic ergo CHRISTIANUS, à Christo suo dictus, dum ad propiorem ejus nunc amplexum, admittitur, cum altius adscendere nequeat, (quamvis hoc titulo unus tantum in terris Rex compelli soleat) jam dum in caelis Christianissimus evasit. Anima autem habitaculum, corpus inclutum, in eadem, qua natus ac denatus est, Metropoli, splendido sed lugubri cum solennitatis apparatu, non absque multorum lamentis, avito tumultu, die XXII. Julii repositum, post editos ultimae tubae clangores, ad renovatum animae beatae consortium, & plenissimam sempiterni gaudii communionem, postremo liberationis die, cum tripudio resurget.

Haec cum ita sint, ipsimet Vos, *Auditores incluti*, haud difficulter judicabitis, quantam jacturam fecerint serenissimi parentes, filio primogenito, eoque tot virtutum fulgoribus conspicuo, derepente orbati; quantam item jacturam fecerit universa patria mea, sperato quondam rectore suo, cujus principem aetatem tot grandia regnatricis prudentiae praeparamenta illustraverant, subito destituta. Quotquot paterni affectus vehementiam, quotquot materni teneritudinem intelligunt, quotquot civium erga regnatos pietatem interpretari sciunt, illi simul acerbos, ex inflicto pectoribus omnium vulnere, dolores neutiquam possunt ignorare. Hoc mœsti orbique parentes conqueruntur, totam ditionem subjectam, & me quoque cum patria, in justis questus consortium trahentes, quod natum senectuti suae solatium, post longam ac prope desperatam prioris utrinque conjugii sterilitatem, sibi

ORATIO

velut cœlo demissum, letifero morbillorum ictu amiserint. Hoc subinde fortius ingemiscunt, quod germinantia flore lætissimo heroicæ mentis semina, non effuso solum sanguine suo, sed magis fœcundo cœli rore rigata, priusquam maturos ferrent fructus, superveniente mortis impetu, viderint suffocata. Hoc vehementissime dolent, quod non nudo nomine, CHRISTIANUS, ut nimis multi, sed accensus religionis ac pietatis ardore filius, dignus omnino visus, qui lumen, quod à majoribus accepit, nepotibus exemplo præluceret, sanctas inter annorum & operis primitias, sit extinctus. Hoc iteratis vicibus deslent, quod utriusvis justitiæ, spiritualis æque ac civilis, industrius candidatus, antequam terrestre tribunal conscenderet, judicandorum, & justè regundorum oculis votisque sit ereptus. Hoc assidue deplorant, quod gnatum ejusmodi, in quo Salomonæa sapientiæ maturitas quodammodo rediisse videbatur, tanta rerum optimarum & tam erudita notitia instructum, ut puerilibus in annis infinitam virorum multitudinem anteiret, sibi suisque subditis spectent ademptum. Hoc calido affectu deplangunt, quod natu sibi maxima proles, animo & corpore mascula, cujus sollicitam educationem, tot disciplinarum, tot linguarum, jam tum hausta, & quotidianis auctibus crescente scientia, idque extra ullam literarum intemperantiam, divinitus coronari sentiebant, tam præmaturo excessu, pro tot lætitiæ cumulibus, tantos dolorum acervos reliquerit. Hoc ex profundo plenoque mœroribus pectore suspirant, quod juventutis, ante juveniles annos, Princeps, qui in animi sui regno, quo nullum majus est, morum Gratias, cum Musis, studiorum præsidibus, indivulso fœdere & æ-

quissi-

FUNEBRIS.

quissimis legibus feliciter copulaverat, pro tot exquisitis gratulationibus, quot ad genitores mira cum delectatione certatim redundarant, acerbis nunc aliorum commiserationibus, senilem pene vitam suam conficeret. Hoc cum redeuntibus in orbem doloribus queritantur, quod, prompta imitatrix actuosi in illo semper animi, alacrior indies corporis agilitas, bellicæ olim fortitudini, ut sperabatur, tot equestrium exercitiorum scitamentis velut præludens, nunc in exanimem membrorum torporem resoluta, se ipsos etiam, tot gaudiis una vice spoliatos, propemodum exanimaret. Hoc etiam atque etiam lugent, quod primo statim prælio, cui varorum & mortis furor ipsum objecerat, cruentæ victoriæ præmium adeptus, communi clade mortalitatis (quam corpus accepit) simul fuerit involutus; licet anima ejus, tot virtutum copiis instructissima, victrix extiterit, atque millies millenis immortalium Angelorum catervis, cum tropæo fidei, sese associatura, in cœlos triumphabunda subvolaret. Istuc ergo cum respiciunt serenissimi Principes parentes, & quotquot è subditis lucidi hujus triumphi radios eminus intuentur, quanquam perdifficile sit; justum mœrorem temperare, sensim tamen, velut densa dolorum caligine dispulsa, novum solatii lumen admittunt. Faciunt autem id tanto lubentiores, non solum ideò, quia probe sciunt, quod gentiles etiam agnoverunt, se mortalem eum genuisse, factum infectum fieri neutiquam posse, quin plangorem istum fore supervacaneum, qui nullum, pro voto, sit habiturus eventum; & quicquid ratio suggerit lenimentorum: quæ ego, ut omnibus nota, per indicem recitare superfedebam; sed potius ideo, quia suavissimam Principis

pis

ORATIO

pis filii vocem, consolationes ex alto promentem, sibi videntur audire. Ferte, quæso vos, Charissimi Parentes, cæterique hujus mœroris participes; ferte, inquam, obitum hunc & abitum à vobis meum animo mitiori, & querelarum, medela vestris è querelis sumpta, vehementiam coercete. Si primum vitæ meæ terrestri ortum quodammodo cœlestem creditis, ea propter de illo gavisi, cur vitæ occasum, qui cœlo manifestius debetur, meque ad cœlestem vitam evocavit, lugubriter deploratis? Si quid in animo meo heroicum deprehendistis, cur cœlum, veram heroum patriam, quam teneo, mihi per errorem invidetis? Si amor viatoris pietatis, quæ defervescere poterat, tanto opere vobis in me placuit, cur ejus firmitatem, in omne ævum mihi collatam, intempestivius doletis? Si tenues olim justitiæ stricturas laudibus in me extulistis, cur individuum justorum societatem, in quam adscriptus sum, minus nunc æstimatis? Si sapientiæ scintillulis, ex educatione vestra resultantibus, tantum tribuistis, cur non de plena ejus luce, quâ ex luminum Patris conspectu usque fruor, potentius gaudetis? Si temperantia in me literarum, cujus excessus æque ac defectus facilis erat, ad eò vobis arrisit, cur non perfectam eruditionem, adepto, extraque vicissitudinis periculum constituto, lætius acclamatis? Si pauculis hominum linguis balbutientem admirati estis, cur linguis Angelorum loquentem cum dolore velut fastiditis? Si conversationis meæ amabilitatem deprædicastis, cur sempiterna electorum consortia, quibus, nunquam terminandis cum jubils, intersum, parcius laudatis? Si quam negotiositatem in actibus meis, cui sæpius lassitudo intercesserat, olim probastis, cur perpetuam, nec fatigantem, laudibus

Dei

FUNEBRIS.

Dei cantandis actuositatem, segnius celebratis? Si ad pugnandi fortitudinem memet ipsi quondam animastis, cur victoriam, & triumphum & tropæa, quæ nemo amplius destruet, conniventi oculo adspectatis? Si denique salutem meam cordi curæque habitam, Deo frequenter commendastis, cur non mihi, jam in æviternum salvo, gratulabundi applauditis? Vestra vobis, charissimi, reddo verba: magnæ virtutis est, in summi Numinis provisu acquiescere, & fortiter tolerare, quicquid illa manus immittit, quæ nunquam aberrat. Hoc agite, charissimi, tum diutissime, donec nos mutuo revideamus, vivite & valete, atque sic, quoties suavissimum Fratrem meum, & dulcissimam sororem, gemina Gratiarum delicia, intuemini, gratam filii memoriam renovate & custodite.

O Verè cœlestem facundiam? **O** promptam sedandis doloribus medicinam? **O** admirabilem ac penetrantissimam vim solatorum? Haud potestis, Serenissimi Principes, haudquaquam potestis, illius sacris ac pene divinis desideriis diutius obluçtari, qui precibus ejusdem, honestis & humanis, dum vobiscum egit, nihil unquam negare potuistis. Neq; vero, quod superaddâ his, velut de cœlo sonantibus, quidquam habeo, nisi votum: Deus illis, & apud vos, & apud vestrates (inter quos & me ipsum numer) o gratiosam supernitus efficaciam adspiret? Præsertim vero id jam serio precor,

H

ut is

O R A T I O

ut is unicum nunc filium, Per inclitum Principem, FRIDERICUM WILHELMUM, extenso, in longam foetamque nepotibus senectam, vitæ spatio donandum, tanta in universum benedictione impleat, quæ summas in educatione illius curas vestras, continuato maximarum & culmine suo dignissimarum dotium & prosperitatum incremento, ex altissimis compenset: id quod ipsum universa mecum patria suspirat. Tu vero, CHRISTIANE Princeps, imò Christianissime, qui olim prælustre, his adhuc in terris superstes, cunctarum virtutum fuisti speculum, & nunc in cœlis sacrum, Delphicoque longe certius, te præstitisti oraculum, postremum hoc vale benignus suscipe. Faxit Propitium Numen, cujus Gloriam nunc omni speculo clarius intueris, cujus oracula nunc propius intelligis, ut non Juventutis modo Principes, sed universi etiam, quotquot uspiam sunt, virtutis & sapientiæ cultores, te tutissimum sibi proponant exemplum. Vos tandem, *Auditores omnium ordinum longè Honoratissimi, Serenissimi Ducis potissimum inclute Legate,* vestra meis conjungere vota haud gravabi-

F U N E B R I S.

vabimini: ut anima Divi Principis, ad celeberrimum usque reduntionis corporeæ diem, in beatis sedibus triumphet! ut famæ illius celebritas, ad ipsos æternitatis limites, toto terrarum orbe, sine decremento perduret! ut ex anime corpus ejusdem, ad perpetuam animæ exultationum ac jubilorum plenitudinem, gloriose resuscitandum, usque eò imperturbata tumuli tranquillitate quiescat!

D I X I.

Sequitur
ILLUSTRIS COLLEGII
PROGRAMMA;

AD
HUNC ACTUM
SOLENNIS INVITATIO.



EPHORUS

ILLUSTRIS COLLEGII
LUDOVICUS
BERCHTOLDUS,


Candida Lectoribus omnia serio comprecatur.




Enatus est haud ita dudum annus, quem Christiano populo, inrer tot favas furoris Otromannici minas, salutarem & victoriosum, quisquis Ecclesiam, quisquis libertatem in oculis habet, prima statim inter initia, procul dubio exoptavit. Neque quidquam prohibet, quin eundem votorum ardorem, in tanta periculorum propinquitate, non tam recepto more, quam intimo pietatis sensu, quotidianis porro suspiriis effundamus, aut eodem potius die sapius sapiusque iteremus. Ceterum animus quoque, quem nec in summis terroribus despondere fas est, tanto crebrius ad virtutem fuerit excitandus, quanto sterilius plerique genuino ejus cultui haecenus vacarunt, atque sic iras caelestes, ad atrociam flammantis belli mala, dormitante propemodum Europa, sua illi opinione celerius immissa, dato velut studio impulerunt. Ad virtutis vero amorem & cultum, non praecipis tantum, sed exemplis etiam, & id plerumque fortius, mentes humanas provocari, a nemine fortassis, qui quidem sapientiae repudium non misit, inter dubia referetur. Quo igitur eminentior est virtus ac rarior, eo iniquius est, silentio illam involvere, justisque laudum praedicationibus fraudare: tunc praecipue, cum autor ejus terris jam valedixit, ac semel partam suorum meritorum gloriam, ut sunt actiones mortalium fluxa, ac mutationibus obnoxia, amplius amittere nescit, aut depretiare. Illuc profecto referri debet mortuos laudandi consuetudo, quae quoties vivos hoc honore afficit, quanquam ne tum quidem, si modus adsit, penitus improbari queat,

queat, constantiam tamen elogiorum, quod nimis sæpe compertum est, haud ubivis solide tuebitur. Hujusmodi vero encomium illi potissimum merentur, qui gradum ætatis, maturitate iudicii ac virtutis, cum admiratione omnium antevertentes, vitæ suæ annos, non diuturnitate temporis, sed recte factorum dictorumque excellentia, posteritati memorabiles reddiderunt. In his quantum emineat, Serenissimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI WILHELMI, Saxonie Ducis &c. nostratium Germaniæ principum, qui quidem rectorios fasces tenent, juxta AUGUSTUM Brunovicensem, multis sane nominibus seculi hujus phœnicem, meritissimi senioris ac Duumviri, Primogenitus olim filius, Dominus CHRISTIANUS, Saxonie Dux &c. cunctis, dum viveret, terrenis titulis, qui huic fastigio congruunt, longè Dignissimus, Altenburgicæ nuper juventutis princeps, nunc impetrata cælesti beatitudine gloriosus, omnibus in aulis confinibus fama pridem celebravit. Attamen quicumque totius rei summam paulo propius noscere cupiunt, illi die 20. hujus mensis ad horam ante meridiem nonam, Illustris Collegii auditorio, suam favorabili cum beneficio præsentiam sistant, audiendique promptitudinem, quod perofficiose rogamus, haud gravatim oratori Nobilissimo imperiantur. Is erit Generosus Dn. BERNHARDUS Wising / Eques Misnicus, ingens sui ordinis decus, ac tot præcæ veræque nobilitatis dotibus insignis, ut sola earum commemoratione, nisi modestiam ejus, nobis abunde perspectam, & acquisitis etiam meritisque laudibus audiendis difficilem, in præsentissimum ruborem, qui color virtutis est, conjicere metueremus, non unam & adeo angustam, sed complures paginas largius patentes, nusquam læsa veritate, cumulatim possemus implere. Certe tantum olim patriæ suæ spondet ministrum, ut illa jam spes suas, maturitati proximas, ad eum excipiendum, & inter proceres locandum, læta in occursum emittat, voto suo, utut avaro, si quid judicare possumus, nunquam & nusquam frustranda. Nam itinera illa, quibus se, priusquam patrios ad lares redeat, prope jam accinxit, ad temporis sui mores, non ad necessitatem respectans, parum in eo reperient, quod emendare queant, prudentiæ tamen & præcognitarum linguarum robor confirmatura. Scit ille nimirum, quanto in dignitatum gradu, tot jam per sæcula, omnem late per Germaniam, celeberrimi majores, in Electorum & aliorum Principum aulis, curiis & castris, fuerint constituti, imo, ad sublimia Principum Imperii subsellia, curis Episcopaliibus evecti. Horum ille laudes neutiquam suas duceret, nisi virtutis illorum vestigia, non minori cum felicitate, quam industria, sibi cal-canda delegisset. Apud nos sane, sicut in aliis antehac Musarum domiciliis, quæ diversa, hospes semper gratissimus, subiit & inhabitavit, nec, sine adaucto mansuræ ac etiamnum crescentis gloriæ brabeo, illinc recessit, ad eximia laudum præconia, hinc auferenda, pleno

pleno virtutis impetu grassatur. In propatulo enim sunt non pauca, quæ jam publicum toties applausum promeruerit, ingenii & eruditionis insignitæ specimina, quibus nunc novum cupit accedere monumentum, æternaturæ memoriæ Divi Principis, quem prædiximus, in templo famæ consecrandum. Hujus quippe obitum postquam esset edoctus, ac totius aulæ patriæ mœrorem, ex literis, à virorum in summa dignatione positorum manu, disertim ea de re acceptis, cum suo, quem illinc conceperat, concordare didicisset, temperare sibi non potuit, quin florentissimo nuper juventutis Principi, in quo rara & admiranda pene omnia fuerunt, funebrem laudationem adornaret. Nempe simul testatum facere cupiebat, gratam tot beneficiorum, à Serenissimis defuncti parentibus, totaque regnatrice Saxonum familia in majores suos ac seipsum collatorum, altoque pectori insculptam recordationem sibi superesse. Sed & mœstissimam inclutorum genitorum orbitatem, solatiis erigendam, itemque ampliorem Saxo-Altenburgicæ lineæ, quam vocamus, ad posteros propagandæ spem, nunc redditam paulo contractiorem, quin pariter in oculis habuerit, cuius perspicaci pronum est divinare. Tamen vero hic orator, iis doctrinæ faciendæque præsidii esset instructissimus, ut non alium inter has meditationes, quam seipsam, consulere haberet necesse, illustris tamen, quod eximius civis inhabitat, Collegii statuti hoc dedit, ut cum publico, sicut Historiarum & politiciæ, ita etiam eloquentiæ apud nos Professore, Viro Excellentissimo, MAGNO HESSENTHALERO, nomine ac eruditione Magno, destinationem suam communicaret, eundem conatibus hisce tam piis & eximiis toto animo suffragantem expertus; cum ob argumenti tristitiam applaudere illi vix liceret. Quid expectare dehinc auditores, quos amantè & honorifice invitamus, in oratorio hoc actu debeant, non putamus nostri officii esse, ut magnis pollicitationibus nunc quidem utamur, ad frequentem accessum illis persuadendum, quotquot fastigii principalis sanctitatem, & bonas literas ultro æstimare noverunt. Nec enim aliud, nisi exquisitum, nisi rebus præsentibus, quas suscepit tractandas, intime accommodatum, à Pflugiana suada debet sperari. Propius ad institutum facere videtur, ut materiam hanc, ab Illustris Collegii cathedra, haud alienam esse, paucis ostendamus. Verum quidem est, illos plerosque omnes, quibus usque huc publicis supremæ laudationis honor, in hoc auditorio, decretus & habitus erat, vel hospites palladiæ huic domus fuisse, vel ministeriis eo in loco eminentioribus has laudes promeruisse, vel denique excelsum stirpem, his in terris regnatricem, vinculo sanguinis attigisse. Sed nobis, membrum ultimum pressus intuentibus, à consueto more istic haudquaquam recedi, omnino manet persuasum: cum D. Princeps CHRISTIANUS, ob paternum & maternum avos, longe longèque gloriosissimos, Serenissimæ Domui Wirtembergicæ arcta propinquitate sit conjunctus. Alter quippe Saxonie Electoralis admini-
strator,



frator, filio cognominis, D. FRIDERICUS WILHELMUS, perincluti Wirtembergiæ Ducis, D. CHRISTOPHORI filiam, D. SOPHIAM, dilectissimam habuit uxorem; alter vero Dn. JOHANN-GEORGIUS I. Saxonicus Elector, summa uterque nomina meritis Princeps, Augusti Principis, EBERHARDI nostri, amicitia honoratissima, D. SYBILLÆ ELISABETHÆ, conjugali nexu fuit devinctus. Quamquam abs hac propinquitate si foret, nihil ramen obstaret, quo minus in hoc Minervæ sacrario, Principum, Comitum, Dynastarum & Equitum juventæ speciatim dicarō, tam præcelsi sanguinis summæque spei Princeps, ex illa veneratione, quam tantis fastigiis ac virtuti omnes merito debemus, meritis præconiis extolleretur; ad quorum publicationem, complures, eaque satarduæ, rationes Generosum PFLUGIUM extimularunt. Nos ergo, quod unum superest, de inclutæ domus orbitate sicut ferio dolemus, ita defuncto, & nunc beato, Principi istum memoriæ cippum venerabundi gratulamur, tandemque cunctos, in vicina nobis Academia, literarum præsides & cultores, quemadmodum nostros quoque cives, ad audienda hæc elogia, prædicto tempore loquoque, reciprocationem officiorum polliciti, cupimus exoratos. Propositum sub Palladio munimine sigillari, Die XVII. Januarii ANNO M. DC. LXIV.



FELICITAS GUELPHICA
P A N E G Y R I C U S
SERENISSIMO CELSISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

AUGUSTO
BRUNSUICENS. ET LUNÆ-
BURGENSIUM DUCI
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

IPSO

SERENITATIS eiusd.

NATALI LXXVI.

PUBLICÈ

In Academia TUBINGENSIS
AULA, quam vocant, NOVA

Subjectissima devotionis causâ

DICTUS

ab

ENOCH Glasern / SILESIQ.

a. d. X. Aprilis, A. R. O. M. DC. LIV.



NORIMBERGÆ,

Typis CHRISTOPHORI GERHARDI, Typog.

M. D. C. LIV.